The Digital *Liber exceptionum* Project (https://exceptiones-project.wlu.ca)

Augustinus ad simplicianum (fol.5rb)

1. Peccatum non legittime utens lege ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est. et ideo fallit. fallax enim dulcedo est quam plures atque maiores penarum amaritudines consequantur.

   Peccatum non legitime utens lege ex prohibitione aucto desiderio dulcius factum est et ideo fefellit. Fallax enim dulcedo est, quam plures atque maiores poenarum amaritudines consequuntur.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis quaestionibus ad Simplicianum*, 1.1.5 (CCSL 44, A. Mutzenbecher ed., p.11, ll.80-83).

2. In ista siccitate uite conditionisque mortalis. nisi aspergeretur desuper uelut tenuissima quedam aura. iusticie citius aresceremus.

   In ista igitur siccitate uitae condicionisque mortalis nisi aspergeretur desuper uelut tenuissima quaedam aura iustitiae, citius aresceremus quam sitiremus.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis quaestionibus ad Simplicianum*, 1.2.16 (CCSL 44, A. Mutzenbecher ed., p.41, ll.456-459).

3. Peccatum est hominis inordinatio atque peruersitas id est a prestantiore conditore auersio. et ad condita inferiora conuersio.

   Est autem peccatum hominis inordinatio atque peruersitas, id est a praestantiore conditore auersio et ad condita inferiora conuersio.

   Augustinus Hipponensis, *De diuersis quaestionibus ad Simplicianum*, 1.2.18 (CCSL 44, A. Mutzenbecher ed., p.45, ll.550-552).

4. Cum quisque orationem querit. collocat membra. sicut ei occurerit accommodata pro tempore. positi corporis ad mouendum animum. cum autem non queritur. sed infertur appetitus orandi. hoc est cum aliquid repente uenit in mentem quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus quocumque modo inuenerit hominem. non est utique differenda oratio. ut queramus quo sedeamus aut stemus. aut ubi prosternamur. Gingnit enim sibi mentis intencio solitudinem. et sepe etiam obliuiscitur. uel ad quam celi partem. uel in qua positione corporis menbra illud tempus inuenerit.

   Cum enim quisque orationem quaerit, conlocat membra, sicut ei occurrerit accommodata pro tempore positio corporis ad mouendum animum. Cum autem non quaeritur sed

infertur appetitus orandi, cum aliquid repente uenit in mentem quo supplicandi moueatur affectus gemitibus inenarrabilibus, quocumque modo inuenerit hominem, non est utique differenda oratio, ut quaeramus quo secedamus aut ubi stemus aut ubi prosternamur. Gignit enim sibi mentis intentio solitudinem et saepe etiam obliuiscitur, uel ad quam caeli partem uel in qua positione corporis membra illud tempus inuenerit.

Augustinus Hipponensis, *De diuersis quaestionibus ad Simplicianum*, 2.4 (CCSL 44, A. Mutzenbecher ed., p.87, ll.21-31).